




OTIEB

5. 10. 15.  
16. 17. 18.



CATO  
NIS DISTICHA  
MORALIA, CVM  
*Scholijs D. Erasmi  
Roterodami.*

MORIBERGAE.  
In Officina Typogra-  
phica Vlrici Neuberi.

ANNO.  
M. D. LXX.

# ERAS. ROTERO. IOANNI

Neuro Hondiscotano Lilianorum apud inclytum  
Louanium Gymnasiarchæ, S.



**D**isticha Moralia, uulgo Catonis inscrip-  
pta titulo, Neui Theologorum decus,  
primum diligentur à mendis repurga-  
uimus, collata Planudis interpretatio-  
ne, tametsi Græculus ille Romani Cara-  
minis sententiam sæpe numero non asse-  
quitur. Addidimus & scholia, perbre-  
uia quidem illa, sed aliquanto commodiora, ni fallor, ijs Com-  
mentarijs, quibus duo quidem opusculū hoc contaminauerant  
quorū alter insulsissimè rethoricatur, homo ipsa infantior in-  
fantia, alter ineptissimè Philosophatur, uterq; & δὲ πρὸς  
& τοῦτο loquitur. Porro cuius Autoris sit hoc opus, & utrum  
unius ad pluriū, non admodū referre puto. Catonis ob id tan-  
tū arbitror dici, quòd sententias habeat Catone dignas. Adie-  
cimus his Mimos Publianos, falso inscriptos Senecæ Provera-  
bia, atq; his quoq; castigatis (offendimus enim deprauatissimos  
asscripsimus breuissima Scholia, reiectis, ijs, quæ perperā erant  
admixta ex aliorū libris, tum appositis aliquot ex Alij Gellij  
Noctibus & Senecæ controuersijs. Sed interim clamabit uutilis-  
tigator aliquis: Hui, Theologum in tam friuolis uersari nu-  
gis? Primum ego nihil fastidiendum duco, quantumuis humi-  
le, quod ad bonas pertineat literas, nedum hosce uersus, tanta  
Romani sermonis mundicie, tamq; ad bonos mores conduci-  
biles. Quāquam cur me pudeat in hoc genere pauculas horas  
collocare, in quo pauci scriptores Græci non mediocri cum  
laude

laude sunt uersati? Nam extant & hodie Theognidis sententia,  
Phocylidis & Pythagoræ præcepta, non abs re aurea dicta.  
Deniq; si mihi indecorum esse uolunt, emendasse hæc tam  
humilia, & explanasse, multo fœdius erit eadem & depra-  
uata fuisse, & (quod ex ipsorum liquet Commentarijs) isti  
tam puerilia non intellecta fuisse ab ijs uiris, qui se nihil nescia-  
re putant. Nam Publij Mimos quis cõtemnat? quos Aulus Gellius  
lepidissimos, Seneca disertissimos uocat, cuiusq; sententias  
(ut idem testatur) non puduit summos etiam Rhetores æmu-  
lari. Addimus & septem sapientum celebria dicta, & homi-  
nis Christiani institutum, quod nos carmine dilucido magis  
quam elaborato sumus interpretati, conscriptum antea sermo-  
ne Britannico à Ioanne Coleto, quo uiro non alium habet, mea  
quidem sententia, florentissimum Angelorum imperium, uel  
magis pium, uel qui Christum uerius sapiat. Hoc quicquid est  
laboris, tibi nuncupandum duximus mi Newi ornatissime, si-  
mul ut habeas, quod tuis prælegi cures alumnis, quos nulla  
neq; literam, neq; morum barbarie finis infici, simul ut hoc  
qualecunq; monumentum non sinat nostram necessitudinem  
intermori. Non me clam est, quàm si hoc plus quàm Leuiden-  
se munusculum, impar magnitudini tuæ, qui cum eruditione  
rara, tum moribus non minus integris quàm festiuis & ora-  
nas ornatissimum Theologorum ordinem, & illustrissimam  
Louaniensium scholam illustras. Verum confidebam fore, ut  
optimo uiro libellum quantumuis pusillum ipsa com-  
mendaret utilitas. Bene uale, Louanijs

Anno M. D. XIII. Ca-

lend. August.

A 2

Libella

# LIBELLVS ELEGANTISSIMVS

qui inscribitur Cato, de præceptis vite communis.

Erasmo Roterom. Castigatore & interprete.



QVAM ANIMADVERTEREM  
quàm plurimos homines grauitè  
errare in uia morum, succurren-  
dum & consulendum eorum opi-  
nioni fore existimaui, maximè ut  
gloriosè uiuerent, & honorem  
contingerent. Nunc fili charissime docebo, quo  
pacto mores animi tui componas. Igitur præcepta  
mea ita legas, ut intelligas, Legere enim & non  
intelligere, negligere est.

Itaq; Deo supplica. . . . . Parentes ama,

*Prima pietas in Deum : proxima in parentes.*

Cognatos cole.

*Tertia in reliquos cognatos. Supplicamus Deo sacrificijs.  
Amamus parentes, dum obseruamus & obsequimur. Colimus  
cognatos officijs, & consuetudine uite.*

Magistrum metue.

*Olim dabatur ingenuis pueris pedagogus, quem uererens-  
tur, hunc magistrum uocat: Et animaduerte uerborum pro-  
prietatem. Deo Supplicandum est: Parentes amandi: Cognati  
colendi. Magister metuendus: quippe seruus plerunq; iuxta  
ueterum consuetudinem.*

Datum serua.

Quod

LIBER I.

Quod tunc creditum est fidei, id serua ueluti depositum.  
Foro te para.

Id est, his artibus te exerceas, ut possis in foro uersari, hoc est, in causis agendis. Nam hic olim erat primus gradus ad honores summos. Legi in quibusdam uetustissimis codicibus: Foro pare, id est accomoda te rebus presentibus, quemadmodum dicimus: Vti foro. Cum hoc interpretamento consentit Græcus Planudes, neque dubium est, quin hæc sit germana lectio.

Cum bonis ambula,

Cum optimis habeto consuetudinem. Nam primum talem te iudicabunt, cum qualibus conspexerint te consuetudinem agere, deinde bonorum conuictu redderis melior.

Ad consilium ne accesseris, antequam uoceris.  
Ne ingras te ipsum alienis negocijs, sed accersitus accedas.

Mundus esto.

Id est, neque sordidus neque luxuriosus, sed eleganti mundicie.  
Saluta libenter.

Conciliat enim ea comitas et affabilitas multorum beneuolentiam, et alit partem.

Majori cæde.

Id est, noli certare cum potentioribus.

Minori parce.

Id est, noli sauire in eos, qui sunt inferiores, sed illis concede nonnihil.

Rem tuam custodi.

Ne profundas temere facultates tuas, ne uel turpiter egeas, uel turpius rem pares.

Verecundiam serua.

A

3

Id est

## CATONIS

Id est, serua te incontaminatum ac purum ab inquinamentis  
libidinum. Castum enim uerecundum dicitur. Est autem etatis  
flos his periculis abnoxius.

Diligentiam adhibe.

Cura in omni re plurimum ualet. Negligentia semper co-  
mitem habet infelicitatem.

Libros lege.

Nam ex his cito discitur, quod longo uite usu uix assequi  
queas.

Quos legeris memento.

Nam quidam, onerant se lectione, alia super alia ingeren-  
tes, neque quicquam insculpunt memoriae.

Familiam cura.

Domestica negocia tibi curanda sunt, non aliena.

Blandus esto.

Id est, comis in congressu.

Irasci ab re noli.

Ne sis morosus. Nam omnino non commoueri, stipitis est  
potius quam hominis.

Neminem irriseris.

Est enim argumentum arrogantis stultitiae.

Miserum ne irriseris.

Sic enim quidam codices habent. Hoc est, animi uitia ridea-  
ri merentur. Calamitas misericordiam meretur potius quam  
masum.

Mutuuum dato,

Cui des uideto.

Est quidem aliquando danda pecunia mutuo, sed non quia  
bus libet.



## LIBER I.

buslibet, se credituris bona fide, seu dignis officio, deniq; iis  
quibus non graueris & dono dare.

Iudicio adesto.

Ad sunt aduocati, & id olim erat officium præcipuum in  
amicos, adesse in iudicijs.

Conuiuare raro.

Sæpius uocare ad conuiuium exhaurit substantiam, sæpius  
ire ad conuiuium sordidum est: At rarius utrunq; facere, hu-  
manitatis est.

Quod satis est dormi.

Hoc est, non ad uoluptatem, sed ad necessitatem nature.

Iusiurandum serua.

Non est temerè iurandum, quod autem iuraris, præstandum  
est, nisi sit scelus quod iuraris.

Vino te tempera.

Esto moderatus in uino, uel abstine à uino. Nam adoleſcens  
si dare uinum, est oleum igni addere.

Pugna pro patria.

Pugnandum est non pro quauis re, sed pro defensione pa-  
trie. Nam carum more, pro mercede pugnare, turpissimum  
est, & plus quam gladiatorum.

Nil temerè credideris.

Id est, ne facilis sis ad credenda quæuis que dicuntur.

Tute consule.

A te ipso pete consilium, qui te tuaq; optimè nosti. Aut:

Tuto consule.

Id est, caue à consilijs periculosis, tua consilia sequere.  
Nam duplex est lectio.

▲ 4

Meret

CATONIS.

Meretricem fuge. Literas disce.

*Aetas enim prima studio literarū optimē cōercetur à scortis.*

Nihil mentiri debes.

*Turpe in puero ingenuo omne mendacium. Planudes legit Velis pro debes, & magis arridet.*

Bonis benefacito.

*Beneficia non sunt conferenda nisi in bonos, alioqui pereunt.*

Maledicus ne esto.

*Id est, à conuicijs tempera te, neq; carpas uitam alicuius.*

Existimationem retine.

*Bonam famam tuere, ne perdas, perit enim facile, at non facile sarcitur.*

Aequum iudica,

*Id est, non ad lucrum, aut ad gratiā, sed ad regulam equitatis.*

Parentes patientia uince.

*Ferendi sunt parentes, etiam iniquiores.*

Beneficij accepti memor esto.

*Nam dati pulehrum est obliuisci, accepti meminisse decet.*

Ad prætorium stato.

*Multa enim discuntur in agendis causis.*

Consultus esto.

*Id est, calleas scientiam & morem iuris, ut possis amicis opitulari.*

Vtere uirtute.

*Non uiribus, neq; dolo.*

Iracundiam tempera.

*Ante monuit non esse irascendum sine causa. Nunc admo*

*esto*

LIBER I.

*est, iustam etiam iram moderandam esse.*

**Trocho lude. Aleas fuge.**

*Trochus conuenit pueris. Alea infamis erat & apud gentes  
eiles. Nunc principum Christianorum lusus est, imò quorunda  
dam etiam sacerdotum deliciae.*

**Nihil ex arbitrio uirium feceris.**

*Tyrannicum enim est, respicere quantum possis, non quantum  
tuum liceat.*

**Minorem te ne contemseris.**

*Ne fastidias inferiorem te, quod est elati, non cordati.*

**Aliena concupiscere noli.**

**Esto contentus tuis.**

**Coniugem Ama.**

*Vt omnium fortunarum sociam.*

**Liberos erudi.**

*Filios castiga & institue.*

**Patere legem quam ipse tuleris.**

*Quam conditionem praescribis alijs, eadem utere ipse in  
alios.*

**Pauca in conuiuio loquere.**

*Vt sit alijs etiam loquendi locus.*

**Illud stude, quod iustum est.**

*Quod turpe factu est, id ne affectes.*

**Amorem libenter ferto.**

*Odium omnibus modis fugiendum est, amor amplectendus,  
etiamsi quis parum dignus sit, qui redametur, tamen amari  
de patere.*

A S DIS.

CATONIS  
DISTICHA DICTA CATONIS.

**S**I Deus est animus, nobis ut carmina dicunt,  
**S**hic tibi præcipue sit pura mente colendus.

Vulgus existimabat Deum placari victimis pecudum, rebusq; corporeis: Verum cum Deus ipse sit animus, hoc est, mens, non corpus, & consentaneum est simile gaudere simili, nimirum potissimum colendus est puritate mentis. Quin & hodie vulgus Christianorum corporeis quibusdam Ceremonijs colit Deum, cum gratissimus cultus sit animi pietas. Tales enim adoratores querit pater, qui in spiritu adorent, cum ipse sit spiritus. Nulla gratior pietas Diuis, quam si uitam illorum imiteris, hoc est, tolerantiam, mansuetudinem, castimoniam. Atqui hæc animi sunt. Animus est Deus, fac, quantum potes, à corpore te abducas, & ad illum, quantum potes, accedas, & gratissimum immolaris sacrificium. (Pura mente) Nam vulgus lotis manibus ac pedibus ad sacrum accedebat. Tu mentem purga. Huius sordes Deum offendunt, qui uidet ea quæ sunt in animo, non in corpore. (Si Deus) Si hic non dubitantis est, sed rationantis (Vt Carmina) nam Virgilius in 6. Deum spiritum & mentem uocat. (Præcipue) ut intelligas non damnari cultum corporalem, sed hunc tamen, nempe animi, esse Deo gratissimum.

Plus uigila semper, nec somno deditus esto,  
Nam diuturna quies uitæ alimenta ministrat.

Sensus est: Cum uita uigilia sit iuxta Plinium, cauendum est.

## LIBER I.

*ne maximam uitae partem somno perdamus, praesertim cum d  
somnia uitia multa nascantur, & corporis & animi.*

**Virtutem primam esse puta compescere linguam,  
Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.**

*Prima, id est, summa, maximaq; uirtus est moderari lin  
guam, ne quid temere loquaris. Deus enim qui sapientissimus  
est, raro loquitur, & non nisi necessaria, cum nihil non uide  
at, nihil non intelligat. Itaq; proximus est Deo, qui sapienter,  
& cum animo iudicio nouit tacere.*

**Sperne repugnando tibi tu contrarius esse,  
Conueniet nulli qui secum diffidet ipse.**

*Qui secum ipse pugnat, nec sibi constat, huic cum alijs  
conuenire non potest, hoc est, qui moribus est in equalibus,  
nec ullo certo uitae instituto, is non est aptus ad aliorum con  
suetudinem.*

**Si uitam inspicias hominum, si deniq; mores,  
Cum culpet alios, nemo sine crimine uiuit.**

*Mortales aliorum notant uitia, sua nemo uidet, cum nullus  
uitijs careat, si quis propius uitam ac moret excutiat.*

**Quae nocitura tenes, quamuis sint cara relinque,  
Utilitas opibus praeponi tempore debet.**

*Aliquoties expedit in loco res charissimas abijcere, si pe  
riculum adferant, ueluti gemmas & aurum, quo uita sit in  
tuto, aut uoluptates, quo ualitudini consulamus. Non enim  
uoluptates spectari debent, sed utilitas.*

**Constans & lenis, ut res exoptulat, esto.**

**Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.**

**Pro**

## CATONIS

*Pro tempore licet alios atq; alios mores sumere, ut modo  
gravis sis, modo lenis, hoc est, placidus atq; remissus, pro re  
proq; loco. Vide num legendum sit leuis pro lenis, quod ma-  
gis respondet ad constans, ut sit sensus: Aliquando persisten-  
dum in sententia, aliquando mutandum consilium pro tempo-  
re. Porro Versus constabit, si legas: Constans & leuis, ut res  
eunq; exoptulat esto. Neq; dubitem affirmare, hanc germa-  
nam esse lectionem. Tametsi Planudes priorem sequitur sen-  
tentiam, quippe qui uerterit in hunc modum:*

*ἄμβροτὸς ἔσο καὶ πρᾶνς τὰ πρᾶγματ' ἅπαντα.  
Id est, Seuerus esto ac placidus, prout res postulat.*

**Nil temere uxori de seruo crede querenti,  
Sæpe enim mulier, quem coniunx diligit, odit.**

*Illud uxoribus fermè peculiare est, ut maritos instigent in  
seruos: Vnde monet, ne temerè fidem habeant huiusmodi  
querelis.*

**Cumq; mones aliquem, nec se uelit ipse moneri,  
Si tibi sit charus, noli desistere coeptis.**

*Non satis est leuiter admonere peccantem amicum, urgens  
est, insistendum, ut uel improbitate uincas, si quid erit  
quod ad famam illius, aut ad salutem pertineat.*

**Contra uerbosos noli contendere uerbis,  
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.**

*Si cum cordatis agas, non est opus multis uerbis. Si cum  
stulto, frustra contendis: propterea quòd stultitia uerbosissis-  
ma sit.*

**Dilige sic alios, ut sis tibi charus amicus.**

**Sic**

LIBER I.

**Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur**

*Sic amicis utere, ut ipse tibi sis proximus. Sic alijs benefice,  
ne tibi ipsi noceas. In priori uersa est uenusta redditio similia  
um, in dilige, & amicus: in secundo contrariorum, bonis &  
mala.*

**Rumores fuge, ne incipias nouus autor haberi,  
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse loquutum.**

*Ne quid in uulgus sparseris, propterea quòd rumor sepe  
numero in eius caput recidit, à quo profectus est. Si rumor ni  
hil habet periculi, tamen nihil nocet siluisse, si quid habet,  
nocet loquutum esse.*

**Rem tibi promissam certò promittere noli,  
Rara fides, ideo, quia multi multa loquuntur.**

*Noli certo promittere cuiquam, alieni promissi fiducia:  
Quod in te situm est, id prestare potes. Alienam fidem praes  
tare non potes. Et uulgus hominum ad pollicendum facilia  
mum, in prestando saepe fallit.*

**Cum te quis laudat, iudex tuus esse memento,  
Plus alijs, de te, quàm tu tibi credere noli.**

*Ne te ipsam aestimes aliorum laudatione, sed tua ipsius con  
scientia. Te ipsum interroga qualis sis, & si animus tibi res  
sponderit, te longè alium esse, quàm hic aut ille te facit, magis  
credere debes tibi ipsi, cui notior es, quàm alijs.*

**Officium alterius multis narrare memento,  
Plus alijs cum tu benefeceris, ipse fileto.**

*Beneficij accepti meminisse oportet, obliuisci dati. Qui  
dat beneficium, eius est dissimulare se dedisse, ne commemor  
ando*

## CATONIS

*Quando uideatur opprobare. Eius qui accepit, est passim prædicare, ne uideatur ingratus & immemor.*

**Multorum cum facta senex & dicta recenses,  
Fac tibi succurrat iuuenis quæ feceris ipse.**

*Senes qui multa uiderunt & audierunt, multorum dicta factaq; solent referre. Sed curandum est, ut ita nos geramus in iuuentute, ut in senectute succurrat nobis, non solum quid alij rectè dixerint ac fecerint, uerum etiam quid nos ipsi.*

**Ne cures si quis tacito sermone loquatur,  
Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici.**

*Cum uideris quosdam inter se secreto colloqui, ne statim suspiceris eos malè de te loqui. Nam id signum est hominis malè sibi conscij.*

**Cum fueris foelix, quæ sunt aduersa caueto,  
Non eodem cursu respondent ultima primis.**

*In rebus secundis ne quid accidat aduersi cauendum est. Solet enim fortuna sepius uerti in diuersum & lætis initijs addere tristem exitum. Ergo cum res secunda sunt maxime, tum maxime meditandum est, quo pacto aduersam fortunam feras, ne si inexpectata uenerit, & inprouisum te oppresserit calamitas, succumbas.*

**Cum dubia & fragilis sit nobis uita tributa,  
In morte alterius spem tu tibi ponere noli.**

*Legendum est hoc heredipetus, & qui testamentis inhiant. Fit enim sepe numero, ut qui mortem alterius expectabat, prior ipse moriatur, etiamsi iunior aut robustior fuerit. Nā ipsa hominis uita fragilis et incerta res est, et quouis casu abruptitur.*

**Exii**



L I B E R I

Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,  
Accipito placidè, plenè & laudare memento.

Munera sunt estimando non suo precio, sed animo donantis. Ita legimus summus Principes aquam caua manu hauristam, & malum oblatum summa cum alacritate, perinde ut maximum munus, accepisse. (Accipito placidè) alacri uultu, ut ostendas tibi gratum esse. (Et plenè) id est, non malignè, sed candidè, ut præ te feras, pro exiguo munere te multum debere.

Infantem nudum cum te natura creauit,  
Paupertatis onus patienter ferre memento.

Cum nos natura nudos produxerit, satis intelligere possimus, diuitias alienas esse, neq; secundum hominis naturam. Si membrum perdis, est fortasse quod doleas, aliquid tui decessit. Si opes auferuntur, aut non contigerunt, noli ualde cruciari. Siquidem in his quæ uerè sunt hominis, nihilo plus habent Reges quàm tu pauper. Vis scire quid uerè tuum sit? Cogita quid habueris cum nascereris:

Ne timeas illam quæ uitæ est ultima finis,  
Qui mortem metuit, quod uiuet perdit id ipsum.

Qui mortem timet, non solum non effugit mortem, sed in super hoc ipsum uitæ quod datur perdit. Nam anxie uiuere, non est uiuere.

Si tibi pro meritis nemo respondet amicus,  
Incusare Deum noli, sed te ipse cõerce.

Nihil est acerbius, quàm amicus ingratus. Quod fas  
meq

## CATONIS

*Si acciderit, non est imputandum Deo, tanquam illius acciderit culpa. Quin potius te ipsum còerce, ne denuò beneficias ingratas. Quidam enim, si beneficientibus fortuna non respondeat, superos incusant, dicentes: eos non habere rationem rectè factorum, cum illius acciderit culpa, qui sine delectu còtulit beneficium.*

**Ne tibi quid desit, quæsitis utere parcè,  
Vtq; quod est, serues, semper tibi deesse putato.**

*Vtere parcè, id est, modicè, non profusse (quæsitis) id est, partis. Et ut serues quod habes, semper imaginare tibi deesse, ut semper aliquid addas. Sera autem (ut inquit Hesiodus) in fundo parsimonia est.*

**Quod præstare potes, ne bis promiseris ulli,  
Ne sis uentosus, dum uis urbanus haberi.**

*Quod non possis efficere, ne semel quidem est promittendum, ne temere facias. Porrò quod præstare possis, id iterum atq; iterum promittere, iactantiæ est, non humanitatis: Molesta est uerbosa promissio, molestior exprobratio.*

**Qui simulat uerbis, nec corde est fidus amicus,  
Tu quoq; fac simile: Sic ars deluditur arte.**

*Erga eum qui fucò utitur, tu item contra utere fucò, et iuxta Proverbum: Cretiza contra Cretensem. Satius est retinere nonnunquam simulatum amicum, quam reddere apertum inimicum, id enim fiet, si ostenderit te sentire fucum.*

**Noli homines blandos nimium sermone probare,  
Fistula dulce canit uolucrum dum decipit auceps.**

*Semper suspecta sit tibi blandiloquentia: Nec est mes*  
*hominis*

## LIBER I.

homines ex bonis dictis, sed ex benefactis. Insidiatur tibi quisquis admodum blandus est. Memento sic capi & illic aues, uidelicet imitatione uocis. Et assentatione maxima pars hominum capitur, dum adulator sese ad omnes affectus attemperat.

Si tibi sunt nati, nec opes, tunc artibus illos,  
Instrue, quò possint inopem defendere uitam.

Artem, ut habet prouerbiū, non solum quæuis terra, sed quæuis etiam alit fortuna. Vnde certissimum uiaticum est ars, quæ, quocunque, terrarum uenias, defendit ab egestate. Ad nunc uulgus libros suos diuitum aut principum ministerijs dedicat, ubi duo simul maxima discunt mala, luxum & ocium. Porro quod hic præcipit pauperibus esse faciendum, id ego suaserim diuitibus quoque, ut libros suos iubeant artem aliquam discere, unde geminum commodum consequantur: Primum, prima illa ætas artificio occupata, longè paucioribus inficietur uitijs. Deinde si fortuna abstulerit opes, non erit cur uel mendicent, uel ad sordidas aut fœdas artes adigantur, puta turpe ministerium aut militiam.

Quod utile est charum, quod charum est utile putato.

Sic tibi ne parcus, nec auarus habebis ulli.

Quod uulgus magnificat, tu contemne. Quod uulgus negligit, tu magnificato. Ita fiet, ut nec tibi sis parcus, audebis enim uti, quæ non magnificas, neque cuiquam uidearis auarus, eum non expetes auidè, neque seruabis attentè, quæ cupiunt alij. Vulgus plurimi facit diuitias, minimi facit probitatem &

B.

cruidia

## CATONIS

eruditionem. Tu inuerte estimationem. Res autem cuiq; tales sunt, qualis de his opinio. Vulgus lautam rem putat pavonem aut rhumbum. Tu contra uilem rem putato, & puta esse rem lautissimam ouum gallinae recens, lactucam, pullum gallinaceum, ita nec tibi uideberis sordidus, quum habeas lauta tuo iudicio, nec aliorum expetes lautitias, quae tibi uiles sunt.

Quae culpae soles, ea tu ne feceris ipse,  
Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Turpe est committere te, quod doces alios non esse committendum. Vita turpis abrogat autoritatem docenti.

Quod iustum est, petito, uel quod uideatur honestum,

Nam stultum est petere, quod possit iure negari.

Quod inhonestum est, à nemine petendum est. Nullus enim debet cuiquam in re turpi morem gerere. Aut sic: (quod iustum est) id est, quod non debetur, iure negari potest. Ergo non à quouis petas, sed ab eo, cuius officium est prestare quod petis, neq; quiduis, sed quod cum honestate coniunctum est. Nam id petitur aliquando & ab his qui non debent.

Ignotum tibi noli tu praepondere notis,  
Cognita iudicio constant, incognita casu.

Ne facile commutes nota cum ignotis, puta amicum, uel rem, uel uitae genus. Notis enim commodius uteris, de quibus iudicare potes. Quae si bona sunt, rectius uteris, sin mala, facilius tolerabis. Quandoquidem iuxta Plautum: Nota mala, mala non sunt. Ignota uero cuiusmodi futura sint incertum

ca.

LIBER I.

est. Fit autem saepe numero, ut quae in expetendo putaris prima, in experiundo repudies.

Cum dubia incertis uersetur uita periculis,  
Pro lucro tibi pone diem, quicumq; laborat.

Planudes Graecus legit incertis, ut sint duae dictiones. Sic enim uertit:

τὸ βίῃ ἀμφιλόῃ φανεροῖς ἐπὶ τῶν μασιῶν ὄντι,  
πᾶς μοχθῶν πρὸς κέρδι, κέρδι ὅπερ ζῆς ὑγού.

Cum igitur uita per se incerta, uersetur in periculis incertis, unumquemq; uitaē diem in lucro deputat, unusquisque enim dies poterat esse ultimus & incertum erat an tibi contingeret. Ergo in tot uitaē periculis, quicumq; dies non eripitur, is in lucro est imputandus. (Quicumq; laboras) id est quicumq; sollicitus es, & angeris huius uitaē malis. Tametsi, ut dixi, non ignoro Planudem secus exposuisse. Sed non est sententia illum per omnia sequi. Nam mihi magis probatur, ut legamus incertis unica dictione, ad hunc modum (Cum uita dubia uersetur) id est, iactetur (incertis periculis) id est, casibus. Nam pericula hoc minus à nobis uitari possunt, quòd incerta sunt. Vitasti naufragium, non uitasti ruinam: Vitasti bellum, incidis in latrones: uitasti pestem, morderis à uipera. Mille periculis obnoxia est hominis uita, atq; his quidem incertis, & ob id ineuitabilibus.

Vincere cum possis interdum cede sodali,  
Obsequijs quoniam dulces retinentur amici.

Nihil hoc Disticho elegantius fingi potuit. Obsecrans

## CATONIS

*dandum aliquoties amicis, & de tuo iure concedendum. Si  
quidem ea facilitas & morigeratio retinet amicos in amicitia.  
Contra quidam dum obstinatè rixantur de lana caprina, ma-  
lunt amicitiam rescindere, quàm ullà in re obsequi animo ca-  
mici.*

**Ne dubites cum magna petas impendere parua,  
His etenim rebus coniungit gratia charos.**

*Amicitia constat officijs mutuis, & iuxta prouerbum: Ma-  
nus manum fricat. Gratiam hic uocat Deam beneuolentiæ.*

**Litem inferre caue, cum quo tibi gratia iuncta est,  
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.**

*Cauendum est, ne per iracundiam lis incidat cum amico,  
propterea quòd ex iurgio resident in animis uestigia quedam  
quæ beneuolentiam uertunt aliquoties in odium. Et non opti-  
mè coire solet semel rescissa concordia. Ergo morositas omnis  
& asperitas debet abesse ab amicitia.*

**Seruorum ob culpam cum te dolor urget in iram,  
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.**

*Ne punias seruum aut discipulum, quàm diu senseris te ira  
commotum. Pessimus enim auctor rerum gerendarum ira, sed  
prius temperes animo tuo, ut sedata iracundia uel ignoscas,  
uel mitius punias. Ita Philosophus quidam: Punirem te, inquit,  
serue, ni iratus essem. Et Plato sublato in seruum baculo, ro-  
gatus quid ageret: Ego, inquit, castigo hunc intemperantem  
seipsum significans ira concitum.*

**Quem superare potes, interdum uince ferendo,  
Maxima enim morum semper patientia uirtus.**

*Maximo*

## LIBER I.

Maximi animi est, cum possis uincere, pati tamen ut uincaris,  
& negligere aduersarium. Hac uirtute inter mortales non est  
alia prestantior.

Conserua potius quæ sunt iam parta labore,  
Cum labor in damno est crescit mortalis egestas.

Facilius ac tutius est seruare quod tuo labore quasitum  
est, quàm sarcire quod profusione diminueris ac detriueris.  
Cum enim laboratur in damno sarciendo, increscit & obruit  
nos egestas.

Dapsilis interdum notis, charis & amicis,  
Cum fueris foelix, semper tibi proximus esto.

Cum tu foelix, hoc est, lauta fortuna (fueris interdum da-  
psilis) id est, liberalis, notis, charis, & amicis. Notis ut uici-  
nis: charis, quos diligis: amicis, ut cognatis (Semper tibi pros-  
ximus esto) interdum in illos sis beneficus, in te semper, & ita  
sis amicis amicus, ut tibi ipsi sis amicissimus.

## LIBER SECVNDVS.

**T**elluris si forte uelis cognoscere cultus,  
Virgilium legito, quod si mage nosse laboras.  
Herbarum uires, Macer tibi carm ne dicet,  
Si romana cupis & Punica noscere bella,  
Lucanum quæras, qui martis prælia dicet.  
Si quid amare libet, uel discere amare legendo,

B iij N afo

CATONIS

Nationem petito: Sin autem cura tibi hæc est,  
 Ut sapiens uiuas, audi quò discere possis,  
 Per quæ semotum uitij traducitur æuum,  
 Ergo ades & quæ sit sapientia, discere legendo.

*Hoc est, ex alijs Poëtis alia licebit cognoscere. Virgilius in  
 libris Georgicôn docet agriculturam. Macer tradit uires her-  
 barum: quanquam alijs quispiam fuit hic Macer, quàm is  
 quem habemus uulgo, ni fallor. Lucanus narrat Romanorum  
 Ciuilia bella, ubi legendum arbitror: Ciuica pro Punica. Ni-  
 hil enim de punicis bellis scripsisse legitur Lucanus. Ouidius  
 tradit artem amandi, & in Elegijs docet amores. Quòd si  
 cupis artem & rationem rectè beateq; uiuendi cognoscere,  
 hunc librum legito, is te docebit, non uulgares artes et nugas,  
 sed quo pacto uitam exigas semotam, id est, liberam & immu-  
 nem à uitij.*

Si potes, ignotis etiam prodesse memento,  
 Utilius regno, meritis acquirere amicos.

*Non solum in amicos oportet esse beneficium, uerum igno-  
 ti quoq; conciliandi sunt, ac deuinciendi beneficentia si modò  
 possis prodesse. Utilius enim est, quàm plurimos amicos pa-  
 rare (meritis) id est, benefactis, quàm parare regnum. Re-  
 gnum enim eripi potest, amici succurrunt eiecto, & firmio-  
 res sunt quos beneficio adiunxeris, quàm quos potestate pre-  
 mas.*

Mitte arcana Dei, coelumq; inquirere quid sit,  
 Cum sis mortalis, quæ sunt mortalia cura.

*Iuxta Socratis sententiam: Que supra nos, nihil ad nos.  
 Admonet*



LIBER II.

Admonet ut omisso studio naturalis Philosophiæ, ea eiremnia  
quæ ad uitam humanam pertinent, hoc est, ad mores compos  
nendos, & animum malis purgandum affectibus.

Linaque metû lethi, nam stultû est tempore in omni  
Dum mortem metuis, amittis gaudia uitæ.

Eandem sententiam legis in priore libro. Pro amittis ara  
bitror legendum amittere. Qui mortis metu semper anxius  
uiuit, stultè facit. Primum enim non uitat id quod timet, deinde  
de si quid habet hæc uita iucunditatis, eam suo uitio perdit.

Iratus de re incerta contendere noli,

Impedit ira animum, ne possis cernere uerum.

Pyrrhus admonere solitus est tyrones, ne irascerentur, ad  
multo magis oportet cauere iracundiam eos qui disputant.  
Melius enim iudicat qui uacat ira. Contra ira obstat animus  
iudicio.

Fac sumptum properè cum res desiderat ipsa,

Dandum etenim est aliquid, cum tempus postulat  
aut res.

Ecquidem opinor promptè legendum, pro properè. Summa  
ptum, qui necessario faciendus est, libenter & promptè facito,  
ne uidearis grauatim facere. Nam aliquid omnino insumendo  
dum est, non passim, sed quoties tempus aut causa postulat, hoc  
est, in nuptijs, in festis, item in amicis.

Planudes longè alium sensum expressit Græcè.

Ἡ δαπάναις χρῶμείσοιρ, εὔτε τὰ πράγματα ἀπαιτῶ,  
πρὸς δὲ τὰ πράγματα καιρὸν καταλίσκε δέοντος.

CATONIS

Sentit enim amplos etiam sumptus faciendos, ubi res postulat:  
Ceterum ad res gerendas non temere insumendum tempus,  
quod huius sumptus sit preciosissimus.

Quod nimium est fugito, paruo gaudere memēto,  
Tuta mage est puppis modico quæ flumine fer-  
tur.

Humilis fortuna tutior est quam excelsa, ut nauis tutior  
quæ in paruo est flumine, quàm quæ in pelagi fluctibus natat.  
Quod pudeat socios prudens celare memento,  
Ne plures culpent id quod tibi displicet uni.

Ne indicaueris amicis, aut ne committas testibus alijs cuius  
tibi te facti pudeat, ne plures reprehendant, si scirent id quod  
tibi tibi displicet, si solus tibi conscius fueris hoc est, si quid  
peccas, pecces absque arbitris. Nec hanc sententiam intellexit  
Græcus Planudes. Sic enim uertit.

Ἐὰρ ὁ φίλοις σῶις αἴσχος προσερί φεμάλα κέυθε  
μὴ μὲ μόνονταί σε πλείους ὅ σε μόνον ἀνιῶ.

Id est, quod amicis tuis probrum sit allaturum, ualde occul-  
ta, ne in hoc reprehendant te plurimi, quod te solum cruciat.  
Nolo putes prauos homines peccata lucrari,  
Temporibus peccata latent, & tempore patent.

Ne putes nocentes lucrari, hoc est, impune auferre sua pec-  
cata. Latent quidem, sed ad tempus, postea patent, id est, man-  
ifestantur. Tempus enim & celat, & aperit omnia.

Corporis exigui uires contemnere noli,  
Consilio pollet, cui uim natura negauit.

Noli contemnere amicum, licet sit pusillo corpore. Nam  
sepe

LIBER II.

sæpe quod corporis uiribus detractum est, natura addit ingenij uiribus. Quanquam hæc sententia latius patet, nempe hominem non estimandum proceritate, roboreq; corporis, sed animo potius.

Quem scieris non esse parem tibi, tempore cede,  
Victorem à uicto superari sæpe uidemus.

Si senseris tibi rem esse cum potentiore, cede ad tempus, & sine penes illum esse uictoriam. Nam incidit sæpenumero oportunitas, ut mutatis uicibus rerum, uincat qui uictus fuerat, & superior sit, qui fuerat inferior. Conuenit cum illo: Vir fugiens & denuo pugnabit. Quidam stulta pertinacia statim aut uincere uolunt, aut pessundari.

Aduersus notum noli contendere uerbis,  
Lis minimis uerbis interdum maxima crescit.

Vt ante legisti, contra uerbosos non est contendendum uerbis, ita cum familiaribus rixandum non est, eò quòd summa discordia nasci ex uerbulis leuissimis.

Quid Deus intendat noli perquirere sorte,  
Quid statuatur de te, sine te deliberat ipse.

Nec hanc sententiam rectè uertit Planudes, uertit enim ad hunc modum.

κλιθόσι μὴ ἔχνευε τί βέλεται εἰς σε ὁ θεός.  
ὅτι γὰρ ὠρίσε σὺ πέρι, καὶ σέο νόσφι τελευσε.

Quanquam pro κλιθόσι suspicor legendum κλίροισι et tamen aliud est perficere, aliud deliberare, aut statuere. Verus autem sensus hic est: Ne sortilegijs ac malis artibus inquire quid de te futurum sit. Quandoquidem id Deus sciri non uult.

B S

Neg

CATONIS

**N**ecq; enim te in consilium adhibet, cum aliquid decernit de te  
 Quod si id uellet te scire, nimirum accerseret te in consilium.  
 Inuidiam nimio cultu uitare memento,

**Q**uæ si non lædit, tamen hanc sufferre molestū est

*Et hanc sententiam non rectè uertit Plan. Sic enim reddit.*

*Βασικνίον φιλακῆ πάση τὰ μάλα φιλάσση,  
 ἢ ἢ βλαπτῆ σε, Φέρει γέ μὲν ὄσι βρεῖα.*

*Planudes enim (nimio cultu) uertit maximo studio. Porro  
 Germanus sensus sic habet: Nec nimio splendore strepituq; ui-  
 ta conflaueris tibi hominum odium. Qui tametsi non possunt  
 te ledere, tamen molestum est uiuere obnoxium odio multo-  
 rum. At per se iucundum est omnibus esse charum, etiamsi nis-  
 hil utilitatis inde capias.*

**E**sto animo forti, cum sis damnatus iniquè,  
**N**emo diu gaudet, qui iudice uincit iniquo.

*Ne abijcias animum, si aduersarius uicit te præter ius. Nec  
 enim diu exultabit, sed quod perperam pronunciauit iudex  
 id Deus reiudicabit.*

**L**itis præteritæ noli maledicta referre,  
**P**ost inimicitias iram meminisse malorum est.

*Post reditum in gratiam, non oportet litis antea facta conuul-  
 sioa refricare, sed obliuisci superiorum iniuriarum. Finita ete-  
 nim simultate, debet et irarum esse finis. Secus autem facere,  
 malorum est. Greci uocant μνησθηκίαν, uerbo uidelicet  
 infami, præteritorum malorum memoriam.*

**N**ec te collaudes, necte culpaueris ipse,  
**H**oc faciunt stulti, quos gloria uexit inanis.

*Teipsum*

## LIBER II.

**T**e ipsum nec uituperes, nec laudes, utrunq; enim uidetur ad  
stantis inanem gloriam. Nam qui se uituperat, ob id facere uis  
detur, ut resellatur ab alijs, & diuersa audiat.

**V**tere quaeritis modicè, cum sumptus abundat.

**L**abitur exiguo, quod partum est tempore longo.

*Sera in fundo parsimonia. Dum adhuc multum superest,  
incipe partius uti. Citius enim effluunt parta quam colliguntur.*

**I**nsipiens esto, cum tempus postulat aut res,

**S**tultitiam simulare loco, prudentia summa est.

*Aliquando deponendum est supercilium, & remittenda  
seueritas, ut in conuiujs, in lusu deponenda persona sapien-  
tis, sumenda persona stulti, praesertim inter stultos, ac ita, ut  
stultum agas, non ut stultus fias. Summa enim prudentia est,  
seruire tempori (Loco) id est, cum est oportunum. Ita Terent.  
In loco uerò laudo.*

**L**uxuriam fugito, simul & uitare memento,

**C**rimen auariciae, nam sunt contraria fama.

*Pugnant inter se luxus & auaricia. Nam alterum est pros-  
fusi, alterum sordidi, utrumq; uitium iuxta fugiendum est, ut  
pote quod foedam pariat famam. Siquidem qui nimium parci  
sunt, audiunt *νομιώπειροι*, id est, Cumini sectores, & οὐ  
*νομιέπειρε*, id est, ficos diuide, similiaq;. Qui luxa sua profuna-  
dunt, nepotes & lurcones appellantur.*

**N**oli tu quaedam referenti credere semper,

**E**xigua est tribuenda fides, qui multa loquuntur.

*Non statim fides habenda his qui semper aliquid noui rui-  
moris adferunt, deq; aliorum factis nunciant aliquid.*

*Perum*

CATONIS.

**Parum enim credendum ijs, qui multa loquuntur, propterea  
quod huic uanitas soleat esse admixta.**

**Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli,  
Nam nullum crimen uini est, sed culpa bibentis.**

*Vulgus ita excusare soleat sua peccata: Vinum in causa  
fuit. Bene potus hoc dixi. Verum tibi ipsi imputa, non uino,  
quod tuo uitio noxium fuit, non suo.*

**Consilium arcanum tacito committe sodali,  
Corporis auxilium medico committo fideli.**

*In rebus arcanis & tacendis caue ne quemuis consulas, sed  
eum duntaxat, cuius & fidem in tacendo perspectam habeas,  
ne non solum non opituletur, sed laedat et infamet. Neque  
enim corporis uitia cuiuis aperi, sed medico notae fidei, qui  
celet & succurrat.*

**Succensus indignos noli tu ferre molestè,  
Indulget fortuna malis, ut laedere possit.**

*In hoc uersu multi laborant. Quidam s elidunt in successu  
sus, uerum tu si tollas Tu dictionem planè hic superuacuam,  
nihil superest scrupuli. Ne te cruciet prosperitas, quae non  
nunquam contingit indignis, non enim illis fauet fortuna, sed  
insidiatur & illicit, ut postea grauius laedat.*

**Prospice qui ueniunt, hos casus esse ferendos,  
Nam laeuus laedit quicquid prauidetis ante.**

*Quicquid accidere potest homini, id antequam accidat te  
cum meditare, ut ne subitum sit, si acciderit. Minus enim cru  
ciant mala, quae non accidunt inopinanti.*

**Rebus in aduersis animum submittere noli,  
Specem**

LIBER II.

**Spem retine, spes una hominē nec morte relinquit.**

Cum fortuna seuit, sustine teipsum animi fortitudine, ac serua rebus secundis, nec abijcias spem, quæ sola nec moriens tem relinquit. Quàm diu enim anima est, spes est. Et in pixia de Pandora, sola spes in labro hæsit. Item Ouidius: Viuere spe uidi, qui moriturus erat.

**Rem tibi quam noscīs aptam, dimittere noli,  
Fronte capillata post est occasio calua.**

Quoties fortuna offert commoditatem aliquam, quæ tibi sit apta, statim arripe. Nam occasio frontem habet capillatam, ut ea parte teneri possit, uerum si se semel uerterit, ab occipite calua est, ut iam apprehendi nequeat, hoc est: Opportunitas cum contingit, teneri potest, non redit autem cum uoles, si neglexeris. Hic admonendum illud quoq; quod Græci fingunt de Deo cæco, de quo nos copiose in Prouerbijs.

**Quod sequitur spectata, quodq; iminet ante uidero,  
Illum imitare Deum qui partem spectat utranq;.**

Ex præteritis futura collige. Ex præteritis bene secusius gestis consilium cape, quo pacto futuris occurras, exemplo Iasni Dei Romani, quem bisfrontem fingebat antiquitas, quòd oporteat prudentem uirum πρὸ ὤσσω καὶ ὀπίσσω, id est, à fronte & à tergo (ut inquit Homerus) habere oculos, illud autem sequitur nos, quod præterijt, & à tergo est.

**Fortior ut ualeas, interdum parcior esto,  
Pauca uoluptati debentur, plura saluti.**

Vitæ rationem moderare magis ex salutis ac bonæ ualæ ordinis ratione, quàm uoluptatis. Non enim in morbo tantum oportet

## CATONIS

oportet ab intemperantia cauere, uerum etiam cum recte uas  
temus, parcius utendum est rebus omnibus, nempe somno, pos-  
tu, cibo, Venere, lusu, ne in morbum incidamus. Etsi nonnihil  
dandum est uoluptati, multo plus tamen salutis, qua perdita  
pereunt simul & uoluptates omnes.

Iudicium populi nunquam contempseris unus,  
Ne nulli placeas, dum uis contemnere multos.

Nunquam optima placent multitudini, tamen sapientis est,  
non pugnare solum aduersus uniuersos. Nam frustra sapit  
qui solus sapit, cum omnibus desipere uideatur.

Sit tibi præcipue, quod primum est, cura salutis,  
Tempora ne culpes, cum sis tibi causa doloris.

Ante omnia bonæ ualitudinis rationem habe, ne si tuæ in-  
temperantia in morbum incideris, postea pudore reijcias cula-  
pam in cœli insalubritatem, aut loci, sicut uulgus solet. Nam  
pleriq; morbi nobis accidunt ex intemperantia uitæ.

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat,  
Cum uigilat, spernans somnum cernit id ipsum.

Quidam anxie obseruant sua somnia, & ex his defuturis  
estimant. Cum somnia dormientium nascantur ex affectibus  
uigilantium, neq; significant quid sit euenturum, sed quod alia  
quando cogitaueris, dormienti representent.

## LIBER TERTIVS.

**H**Oc quicumq; uelis carmen cognoscere lector,  
**H**æc præcepta feres, quæ sunt gratissima uitæ.  
Instrue



LIBER III.

Infrue præceptis animum, nec discere cesses,  
Nam sine doctrina uita est quasi mortis imago,  
Commoda multa feres, sin autem spreueris illud,  
Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse.

*Hoc si Proæmij loco. Absq; ratione bene uiuendi, uita non est uita, sed simulachrum mortis. Hoc carmen utilissima uite præcepta tradit, si studeas cognoscere, sin spreueris, te ipsum contempseris, non scriptorem. Siquidem tua res agitur, non illius.*

Cum recte uiuas, ne cures uerba malorum,  
Arbitrii nostri non est, quid quisq; loquatur.

*Si male de te loquuntur mali, cum tu nihil facias mali, esto contentus conscientia recte factorum. Nam in te situm est, ut bene agas, non est in te situm, quomodo de te loquatur hic aut ille.*

Productus testis, saluo tamen ante pudore,  
Quantumcunq; potes, celato crimen amici.

*Si ceteris testis in crimine amici, celabis pro uirili maleficio illius, ita tamen, ut ipse non ledas famam tuam, & tantum silentij dabis amiciciae, quantum patietur & fama tua, & testimonij religio.*

Sermones blandos blesosq; cauere memento,  
Simplicitas ueri sana est, fraus ficta loquendi.

*Veritatis simplex est oratio, insidiosa est blandiloquentia. Proinde suspecta semper debet esse prudentibus.*

Segniciem fugito, quæ uitæ ignauia fertur,  
Nam cum animus languet, cōsumit inertia corpus.

*Ignauis*

## CATONIS

*Ignava & ociosa uita fugienda est. Nam torpor animi corpori quoq; situm & languorem adducit. Animi exercitatio corporis quoq; ualetudini confert.*

**Interpone tuis interdum gaudia curis,  
Ut possis animo quemuis sufferre laborem.**

*Animus serijs negocijs fatigatus aliquando relaxandus est honestis ac moderatis uoluptatibus, ut reintegratis uiribus ad strenuos labores sufficiat. Nam quod caret alterna requie, durabile non est.*

**Alterius dictum aut factum ne carpsris unquam,  
Exemplo simili ne te derideat alter.**

*Quod in alios feceris, hoc in te fiet ab alijs. Si libenter reprehendas aliorum facta dictaque, tuo exemplo & alij in te utentur.*

**Quæ tibi fors dederit, tabulis suprema notato,  
Augendo serua, ne sis quem fama loquatur.**

*Quod tibi obuenit ex testamento tuorum, id serua, ne fias uulgo fabula. Quæ fors suprema, id est, hereditas, dederit tibi, notato, id est, inscribito tabulis testamentarijs, uel notata, id est, scripta tabulis, ea (augenda serua) id est, ita serua, ut augeas etiam. Vulgus enim multa dicere solet in νεατω λδ τδς, id est, in nouas nactos diuitias.*

**Cum tibi diuitiæ supetant in fine senectæ,  
Munificus facito uiuas, non parcus amicis.**

*Est uitium hoc senibus peculiare, ut quo proprius accedant ad mortem, hoc sint contractiores (Supetant) id est supersunt & abundant (in fine senectæ) id est, in extrema senectute, quam*

### LIBER III.

Quam decrepitam uocant. Tum igitur dones, sed amicis, qui te foueant obsequijs.

Vtile consilium dominus ne despice serui,  
Nullius sensum, si prodest, tempseris unquam?

*Propter auctoris humilitatem non est contemnenda salubris sententia, nec spectandam est quis dicat, sed quid dicatur.*

Rebus & in censu si non est quod fuit ante,  
Fac uiuas contentus eo, quod tempora præbent.

*Diminuta fortuna tua, non est utendum eodem splendore quo prius, sed contentus eris eo genere uitæ, quod præsens fortuna tibi præbet, & quod adest boni consules.*

Vxorem fuge, ne ducas sub nomine dotis,  
Nec retinere uelis, si cœperit esse molesta.

*Fuge, id est, caue ne ducas uxorem dotis causa. Et si duxeris dotatam, ne dotis respectu eam retineas, si tibi grauis sit, sed contempta dote repudies. Quanquam id apud Christianos non habet locum.*

Multorum disce exemplo, quæ facta sequaris,  
Quæ fugias, uita est nobis aliena magistra.

*Qui suis discunt periculis quid expediat, magna mercede discunt. Sapiens ex aliorum uita sumit uiuendi consilium.*

*Hoc illi in famiam conflauit, cauebo ne quid simile faciam.*

*Hoc illi bene cœsit, imitabor.*

Quod potes id tentes, operis ne pondere pressus,  
Succumbat labor, & frustra tentata relinquas.

*Prius expende uires tuas, quàm aggediare negociū, ne postea uictus difficultate, turpiter relinquas, quod temerè suscepisti.*

C

Quod

CATONIS

**Quod** nosti haud rectè factum, nolito tacere.

**Ne** uideare malos imitari uelle tacendo.

*Noli dissimulare, si quid uideris nō rectè fieri, uideberis enim probare cū siles. Silentium enim aliquādo cōsensus esse uidetur.*

**Judicis** auxilium sub iniqua lege rogato,

**Ipsæ** etiam leges cupiunt ut iure regantur.

*Si premeris iniqua lege, hoc est, dura & inhumana, confisgis ad iudicis equitatem. Non enim hoc est contra legem, sed ex mente legum, ut ad equitatem redigantur, & temperentur: Iniqua lex est, cum summo iure contenditur. Veluti si pauper in uincula coniciatur, quod non alant patrem, cum lex dicat: Liberi parentes alant, ut uinciantur. Aliquando lex durior est, ut terreat: In his iudex, hoc est, pretor aut princeps potest succurrere.*

**Quod** merito pateris, patienter ferre memento.

**Cu** nēq; reus tibi sis, ipsum te iudice damna.

*Incommodum quod tua culpa tibi accidit, non imputabis alij quā tibi, & cum tibi sis conscius, damna te ipsum, tuiq; iudex esto, & ea te poena dignum existimato.*

**Multa** leges facito, perfectis perlege multa,

**Nam** miranda canunt, sed non credenda Poëtæ.

*Multa quidem leges, sed cum iudicio. Nec enim omnia uera sunt quæ legis apud Poëtæ. Fortassis pro perlege, legendum est perime, hoc est, dele & corrige, etiamsi Planudes uertit λετέρχομαι.*

**Inter** conuiuas fac sis sermone modestus,

**Ne** dicare loquax, dum uis urbanus haberi.

LIBER III.

In foro locus est eloquentiæ, in cubiculo silentij, in conuiuijs alternis ac moderatis sermonibus uti conuenit, ijsq; uenustis & amœnis. Quidam dum humanitatem adfectant loquacitate molesti sunt reliquis conuiuijs, quibus non relinquunt loquendi spacium.

Coniugis iratæ noli tu uerba timere,

Nam lachrymis struit insidias, dū fœmina plorat

Vxores lachrymas habent in promptu, his expugnant uiros. Admonet igitur ne quid cōmoueamur huiusmodi lachrymis. Fingunt enim eas sæpenumero, quo uiros suos fallant, ueluti cum simulant se commoreri zelotypia, ut suum adulterium dissimulent, aut iratus se fingunt ei, quem afflictim amant. Pro noli tu, legendum arbitror nolito.

Vtere quælitis, sed ne uidearis abuti,

Qui sua consumunt, cum deest, aliena sequuntur.

Vtere quæ parasti, non abutere, ne profusis bonis tuis, cogaris uel impudenter rogare aliena, uel seruiliter ex alieno uiuere, aut periculose furari aliena.

Fac tibi proponas mortem non esse timendam,

Quæ bona si non est, finis tamen illa malorum est.

Mors uel ab hoc timenda non est, quòd finis est omnium huius uitæ malorum.

Vxoris linguam, si frugi est, ferre memento,

Namq; malum est, nil uelle pati, nec posse tacere.

In amicis leuiuscula quædam uitia ferenda sunt, si alioqui probi fuerint, ueluti in uxore, si paulo sit loquacior, aut lingue procacioris, ferendum est, si alioqui pudica est, & frugis

6 2 bob

## CATONIS

hoc est, suo fungens officio. Maxime quòd lingue morbus est exui peculiaris est. Malus est is, qui nihil u'tij ferre potest in alijs præsertim cum res facilis sit tacere. Sic enim uxor desinet obgannire, si nihil respondeas, quemadmodum solitus est Socrates.

Dilige non ægra charos pietate parentes,  
Nec matrem offendas, dū uis bonus esse parentis.

Pietas, amor & cultus est erga parentes, patriam, Deum & si quis loco parentū est. Quidam ueluti legibus coacti colunt parentes, non ex animo. Dilige parentes charos, pietate non ægra, id est, non coacta, neq; grauatim, sed promptè, & alacriter. Et si quid inciderit dissidij inter parentes, ita alteri obsequaris ut alterū non offendas, sed pietas tua careat omni molestia.

## LIBER QVARTVS.

SEcuram quicumq; cupis traducere uitam,  
Nec uitijs hæerere animū, quæ moribus obsunt.  
Hæc præcepta tibi semper relegenda memento.  
Inuenies aliquid in quo te utare magistro.

Et hoc proœmium est quarti libri. Si uis liber esse ab omnibus uitijs, & nullius mali tibi conscius uiuere, hæc semper habeas præ manibus, in quibus inuenies, in quo teipso magistro possis uti, hoc est, ut ipse regas ac modereris uitam tuam adiutus his præceptis.

Despice diuitias, si uis animo esse beatus,  
Quas qui suspiciunt mendicant semper auari.

Non iubet abijcere diuitias, sed non magnificere. Etenim  
qui

LIBER III.

qui has suspiciunt, hoc est, mirantur ac magnificiunt, dum nō  
audent uti quæ possident, & semper aliquid accumulunt, sem-  
per mendicant, hoc est egeni sunt.

Commoda naturæ nullo tibi tempore deerunt,  
Si contentus eo fueris quod postulat usus.

Si metiaris sumptus usu, hoc est, necessitate, non ambitone,  
neq; uoluptate, nunquā tibi deerunt cōmoditates naturæ, quæ  
paucis contenta est, cum cupiditates immensum desiderent.

Cum sis incautus, nec rem ratione gubernas,  
Noli fortunam, quæ non est, dicere cæcam.

Si res male tibi succedunt tuapte negligentia, ne conferas  
culpam in fortunam, ut illum cæcam appelles, cum tu ipse ma-  
gis parum prospexeris. Potest accipi bifariam (quæ non est)  
id est, quæ nulla est. Fingunt enim mortales hanc Deam, cum  
nulla sit, Aut (quæ non est) subaudi cæca.

Dilige denarium, sed parcè dilige formam,  
Quam nemo sanctus nec honestus captat habere.

Amare pecuniam ad usum, prudentis est, amare ut forma  
pascas oculos, auari & dementis. Denarium uolunt omnes,  
formam soli mali captant.

Cum fueris locuples, corpus curare memento,  
Aeger diues habet nummos, sed nō habet ipsum.

Cum agitur de corporis ualetudine, ne tum Parcas diuitijs  
tuis, etenim qui morbo non succurrit, ne minuatur pecuniam, is  
habet quidem nummos, ad seipsum non habet, cum malè ualeat  
at mauult nummos esse saluos, quàm seipsum, & illis frui,  
quàm seipso. Forasse pro sed legendum se.

CATONIS

**V**erbera cum tuleris discens aliquando Magistri,  
**F**er patris imperium, cum uerbis exit in iram.

*Vapulasti puer à præceptore, dum disceres literas, multo magis ferre conuenit, cura pater te uerbis obiurgat. Tulisti liberatoris tyrannidem multo seuiorem, feras & patris imperium, qui etiam cum irascitur, tamen à uerberibus temperat.*

**R**es age quæ profunt, rursus uitare nemento,  
**I**n quibus error inest, nec spes est certa laboris.

*De quibus dubites, ea ne feceris. Age illas res, ex quibus certa speratur utilitas. Rursus in quibus falli posses, & incertum est profutura ne sint, an nocitura, ab ijs abstineas.*

**Q**uod donare potes, gratis concede roganti,  
**N**am rectè fecisse bonis, in parce lucrorum est.

*Dona libenter si quid potes. Nā lucrū est, non damnum, quod contuleris in bonos, & beneficiū dando accipit, qui digno dedit. Redit enim cum fœnore, quod probo uiro benè feceris.*

**Q**uod tibi suspectū est, confestim discute quid sit,  
**N**amq; solent primo quæ sunt neglecta, nocere.

*Quæ suspicionem habent mali, ea noli negligere, sed statim examina, & exquire cuiusmodi sint. Nam initijs statim medaberis, si quid mali sit, at neglecta crescunt, ac maxime lædunt postea. Veluti si suspicaueris amicum alieniore esse in te animo, noli negligere quid sibi uelit, sed excute, unde hoc natum sit, & si quid est, statim occurre nascenti malo.*

**C**um de detineat Veneris damnosa uoluptas,  
**I**ndulgere gulæ noli, quæ uentris amica est.

*Cave ne duplices morbum tuum, unus enim utcumq; fertur.*

duo



LIBER III.

*duo simul ferri non possunt. Amare damnosa res, damnosa gula. Quod si pariter utroq; laboras malo, superest ut mox ad aegritatem redigaris, Gulam uocat studium exquisitorum ciborum, eamq; dicit uentris amicam, quod per eam uenter sanguetur, res et fama decrescit.*

**Cum tibi proponas animalia cuncta timere,  
Unum hominem tibi praecipio plus esse timendum.**

*Cum tua sponte putes omnes feras esse timendas, meo praeecepto unum animal maxime timebis, nempe hominem. Nam nulla belua homini magis nocet, quam homo homini.*

**Cum tibi praualidae fuerint in corpore uires,  
Fac sapias, sic tu poteris uir fortis haberi.**

*Si natura dederit uires corporis, non statim uir fortis eris, nisi adiunxeris ingenij uim, hoc est, sapientiam, qua corporis robore recte utaris.*

**Auxilium a nobis petito, si forte laboras,  
Nec quisquam melior medicus, quam fidus amicus**

*Corporis morbos aperi medico, animi morbos, aperi fideli amico. Ille Pharmacis sanat, hic uerbis. Aliter: Si quid morbi incidit, magis amicum accerse, quam medicum.*

**Cum sis ipse nocens, moritur, cur uictima pro te,  
Stultitia est morte alterius sperare salutem.**

*Veteres credebant expiari scelus commissum mactata peccante, quae nihil commiserat. Et pro alieno peccato, innocens dabat poenas, cum is qui peccauit potius mactari debuerit, quam uictima. Stulte aut sperabant alienam mortem sibi salutis fore, cum sua quemq; mala, de suo deponere oporteat.*

C 4 Cum

CATONIS.

Cum tibi uel socium, uel fidum quæris amicum,  
Non tibi fortuna est hominis, sed uita petenda.

*Amicus quem uelis adiungere, non est estimandus à censu  
sed ex moribus: Idem oportet fieri in uxoribus.*

Vtere quæsitis opibus, fuge nomen auari,  
Quid tibi diuitiæ profunt, si pauper abundas?

*Frustra parasti diuitias, si partis uti non audes, & inter  
magnas opes uiuis inops. Nihil enim refert habere, si quæ habes  
nihil plus tibi profunt, quàm ea quæ non habes.*

Si famam seruare cupis, dum uiuis honestam,  
Fac fugias animo, quæ sunt mala gaudia uitæ.

*Si cupis honestam tueri famam, noli amare uoluptates in  
honestas, nempe gulæ, libidinis & similia.*

Cum sapias animo, noli irridere senectam,  
Nam quicumq; senex, sensus puerilis in illo est.

*Cum per atatem uigeat ingenium tuum, & animi uis, noli  
deridere senectutem, quæ minus animo ualet. Desipiscit enim  
omnis senex, & ad puerilem stultitiam redit. Aetas igitur  
uitium ferendum, non ridendum est.*

Disce aliquid, nam cum subito fortuna recedit,  
Ars remanet, uitamq; hominis non deserit unquã.

*Opes sæpenumero subito fortuna eripit homini, ueluti in  
incendio, furto, bello, naufragio, uerũ ars eripi nõ potest. Hæc itaq;  
certissima possessio est, quæ semper & ubiq; te possit alere.*

Perspicio cuncta tacitus quid quisq; loquatur,  
Sermo hominum mores & celat & indicat idem.

*Nulla res magis arguit & aperit uitã & ingeniũ hominis  
quàm*

### LIBER III.

quam illius oratio. Hoc est certissimū animi speculū. Igitur si  
uis hominem, cuiusmodi sit, cognoscere, perpende tecū, qualis  
sit illius oratio. Sermo indicat mores hominis, si loquatur ex  
animo, & celat idem, si uel taceas, uel dissimulante loquaris.  
Exerce studium, quamuis perceperis artem,  
Et cura ingenium, sic & manus adiuuat usum.

Ut euanescent disciplinae, nisi exercitatione confirmes, sic  
artificium opere confirmandum erit, ne excidat.

Multum ne cures uenturi tempora fati,

Non timet is mortem, quis scit contemnere uitam

Si uis liber esse à metu mortis, disce uitam non magnifacere.  
Et quemadmodum eleganter docet Aristoteles: Nullius rei  
iucunda fruitio est, nisi quam aliquo modo contempseris.

Disce, sed à doctis, indoctos ipse doceto,

Propaganda etenim rerum doctrina bonarum.

Disce, non à quouis, sed ab his qui possunt docere. Rursum  
quod ab alijs didiceris, id alijs impartiri. Utilium enim rerum  
scientia non est pramenda, sed per manus tradenda.

Hoc bibe quod possis si tu uis uiuere sanus,

Morbi causa mali est homini quandoq; uoluptas;

Ne biberis supra uires. Breuis enim illa bibendi uoluptas,  
sepenumero conciliat homini molestum et diuturnū morbum.

Laudaris quodcunq; palam, quodcunq; probaris,

Hoc uide ne rursus leuitaris crimine damnes.

Leuis & inconstans uideberis, si quia aliquando coram  
multis laudaris, idem postea damnes. Quod si mutasti senten-  
tiam, fac silcas. Fortasse pro uide legendum est fuge (crimine)  
id est, suspensione, & cum uituperio. C 5 Trans

## CATONIS

Tranquillis rebus quæ sunt aduersa caueto,  
Rursus in aduersis melius sperare mement.

*Ne securus sis, cum fortuna tranquilla est, sed tempestatem eaue. Rursum cum fortuna seuit, animum sustine spe melioris fortune, quæ successura sit. In secundis rebus timenda sunt aduersa, ne sis supinus. In aduersis speranda sunt leuiora, ne deficias animo.*

Discere ne cesses, cura sapientia crescit,  
Rara datus longo prudentia temporis usu.

*Iuxta Solonis sententiam, oportet senescere, semper aliquid addiscentes. Nam rara, hoc est, singularis et eximia prudentia contigit longo usu, id est, diuturna experientia etatis. Quanquam mihi magis probatur hoc, ut sit sensus: Semper discere, studio crescit sapientia. Nā pauci sunt qui prudentes euadunt experientia rerum, uel qui paucis contingit diu uiuere, uel quia complures stultitiam non exeunt hac uita. Certissima ac breuissima ad sapientiam uia est doctrina.*

Parcè laudato, nam quem tu sæpe probaris,  
Vna dies qualis fuerit monstrabit amicus.

*Ne laudes amicum effusius, cuius non feceris periculum, si qui dem ille sæpius abs te laudatus, uno aliquo die declarabit, alium fuisse se, quàm tu prædicaris.*

Ne pudeat quæ nescieris te uelle doceri,  
Scire aliquid laus est, pudor est nil discere uelle.

*Quidam stulto quodam pudore malunt semper nescire, quàm semel discere, cum scire pulchrum sit, & pudendum nihil uelle discere. Ergo honestum uelle.*

Cum

LIBER III.

Cum uenere & Bachelis est, & iuncta uoluptas,  
Quod lautū est, animo complectere, sed fuge lites

*Excerpe quod inest boni, fuge quod adiunctum est mali. Exhilarat potatio, discutit curas, utere hac commoditate, sed rursus ebrietas incitat ad iurgia, hoc caue. Item Venus delectat, sed habet sua iurgia. Ama igitur absq; dissidijs.*

Demissos, animo tacitos uitare memento,  
Qua flumen placidum est, forsan latet altius unda.

*Tristes ac tacitos uita, uidentur enim aliquid magni mali moliri. Quemadmodum cauendum est flumen ea parte qua tranquillum est. Nam illic profundissimum esse solet. Ita Caesar magis metuebat Brutum & Cassium pallidos ac tacitos, quam Antonium ebrium.*

Cum tibi displiceat rerum fortuna tuarum,  
Alterius specta, quo sis discrimine peior.

*Quoties te tædet tuæ sortis, confer eam cum aliorum fortuna, & uidebis te nihilo peiorem, hoc est, infeliciorem multis. Quod potes id tenta, nam litus carpere remis, Tutius est multo, quam uelim tendere in altum.*

*Aggredere tuta magis quam magna. Tutius enim est nauis gregre iuxta litus, & remis uti, quam passis uelis periclitari in fluctibus. Nec enim omnibus fauent uenti fortuna.*

Contra hominem iustum prauè contendere noli.  
Semper enim Deus iniustas ulciscitur iras.

*Noli prauè, hoc est, maliciose, & data opera ac peruersè contendere cum homine iusto. Nam Deus nunquam hoc relinquit inultum.*

Ereptis

CATONIS.

Ereptis opibus noli gaudere mœrendo,  
Sed gaude potius, tibi si contingat habere.

Si diuitiæ contingant, gaude, si creptæ fuerint, noli te cruciari, sed tunc utere Philosophia. Non enim tantum boni habent, ut sit admodum dolendum si perierint, neq; rursû tantû mali, ut nō sint libenter accipiendæ, si forte contingerint. Cōstat carmen esse deprauatum. Arbitror legendum: noli mœere querendo. Planudes uidetur hoc sensisse. Ereptas opes ne deplores, sed gaude potius habuisse te quod perderes. Sed dubium non est, quin à Planude scriptum fuerit, ἀπολαύσῃαι pro ἀπολέσῃαι. Porro querendo non est à quæro, sed à quæror deponenti uerbo, pro quo Planudes uertit ὁλοφύσῃαι. Hic casus erit exemplo, nonnunquam è duobus codicibus deprauatis restitui ueram lectionem. Deinde quantopere expediat, autorum monumenta non uni linguæ fuisse cōmissa. Et iactura grauis, quæ sunt amittere damnis,  
Sunt quædam quæ ferre decet patienter amicum.

Si uerbulo lædat amicus, ferendum est. At damna rerum nemo potest æquo animo ferre. In his igitur cauendum ne lædamus amicum.

Tempora longa tibi noli promittere uitæ,  
Quocūq; ingrederis, sequitur mors corporis umbra.

Nemo potest sibi longæuitatem promittere, cū mors hominē, quocunq; eat, non aliter insequatur, quàm umbra corpus. Fortasse legendum, corpus ut umbra, nam sic reddidit Planudes.

Thure Deum placa, uitulum sine crescat aratro,  
Ne credas placare Deum, dum cæde litatur,

Non

### L I E R III.

Non gaudet Deus morte pecudū, ergo thure litandum est illi, hoc est, re innoxia, et minimi sumptus. At hodie pleriq; Christianorum, licet apud hos sublatus sit mos immolandi pecudes, tamen Deum ac Diuos sibi tantum non deumētos esse putent, si eis gemmas, aurum, argentum, ac serica suspenderit uel ostentenda tantum, uel in luxum paucorum uertenda. Immemores hæc semper à Sanctis fuisse contempta, & si forte obtigerint, in egenti & usus fuisse effusa.

Cede locum læsus fortunæ, cede potenti,

Cedere qui potuit, prodesse aliquando ualebit.

Qui rem habet cum proceribus, quoniam prodesse possunt in multis, necesse est, ut aliquando musset iniurias, id est taciatus ferat. Lædunt enim aliquando potentes, & tyrannidem exercent. Hic igitur prudens illis debet cedere, ut postea per illos suis prodesse possit. Nam si resistens reddiderit eos hostes, nec sibi, nec suis prodesse poterit.

Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde,

Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.

Vbi senseris te alicubi peccasse, statim poenas sumito de te ipso, & noli tibi ignoscere. Te ipsum obiurga, tibi ipsi laboris aliquid indicito. Nam ut in sanandis uulneribus dolor dolore sanatur, siquidem ne doleat uulnus, infundis acria, quæ mordent, sic ista reprehensio tametsi amara est, tamen medetur uitio animi.

Damnaris nunquam post longū tempus amicum,

Mutauit mores, sed pignora prima merento.

Si is cum quo tibi fuit diutina consuetudo, forte mutatis  
moribus

## CATONIS

*mōribus alius esse cōepit, hoc debes tribuere ueteri necessitudi  
dini, ne uituperes eum, etiamsi non est dignus qui ametur.*

**Gratior officijs quo sis mage, charior esto,**

**Ne nomen subeas, quod dicitur officiperda,**

*Ut sis charus omnibus, esto gratus officijs, id est, beneficijs  
& benemeritis. Inuisum enim apud omnes est nomē officiper-  
de. Sic enim uocāt eum, in quem collocatū officium perditur:  
Nihil enim tam perit, atq; id quod confertur in ingratum.*

**Suspectus caueas, ne sis miser omnibus hōris,**

**Nam timidis & suspectis aptissima mors est.**

*Qui sibi fingit periculum, is nunquam non miser uiuit. Nis-  
hil igitur huic aptius, quā mors, quandoquidem non potest  
iucundē uiuere. Suspectus hic accipitur actiue pro suspicioso.*

**Cum fueris seruos proprios mercatus in usus,**

**Et famulos dicas, homines tamen esse memento.**

*Sic utere seruis tuis, licet emptitijs, ut memineris homines  
esse, non pecudes. Quōd empti sunt, fortunæ fuit, quōd homi-  
nes sunt, in hoc tibi sunt pares.*

**Quā primum rapienda tibi est occasio prima,**

**Ne rursus quæras, quæ iam neglexeris ante.**

*Occasio quam antea dixit frontem habere capillatam, stat-  
im est arripienda, ne si se subduxerit, frustra quæras postea,  
quam prius contempseras.*

**Morte repentina noli gaudere malorum,**

**Fœlices obeant, quorum sine crimine uita est.**

*Si mali subito moriantur, dolendum magis est quā gau-  
dendum, gaudendum potius morte bonorum, quorū mors fœ-  
litas*



### LIBER III.

*lix est. Vel sic ut uertit Planudes, tametsi malus autor: Si uideris malos subito tolli, noli gaudere. Contingit idem bonis uiris, & innocentibus, ut intelligas hoc casu accidere, non uindicta numinis. Versus ipsius adscribam.*

*μη ἐπίχαίρει κακῶν θανάτοις φίλων ἑξαπιναίοις,  
οἳ ἐδλοὶ θυμῶν ὧν βίον ἀμφοτέρω ἀίσχους.*

*Hæc indicauit, non ut insecter Planudem, sed ut nobis Græci uicissim ignoscant, sicubi labimur in peregrina lingua.*

*Cum coniux tibi sit, nec res, & fama laborat,*

*Vitandum ducas inimicum nomen amici.*

*Si pauper habueris uxorem quæ laborat fama, hoc est, de qua homines malè loquantur (ducas) id est, æstimes, nomen amici uitandum esse, ut potè inimicū famæ tuæ, uideberis enim prostituere uxorem hoc prætextu, et hoc nomine diuites pauperes uxores captant. Ita propemodum Planudes, Tametsi potest & alijs esse sensus, nimirum hic: Si tibi sit uxor re satis lauta, famaq; secunda, noli te dare in familiaritatem potentium ne quid labis uxori tibiq; contrahas.*

*Cum tibi contingat studio cognoscere multa,*

*Fac discas multa, uites ne cire doceri.*

*Quo plura didiceris hoc plura stude cognoscere, ne uidearis indocilis ullius rei.*

*Miraris uerbis nudis me scribere uersus,*

*Hos breuitas sensus fecit coniungere binos.*

*Sententia uerbis nudis explicanda est. Melius enim meminimus quæ breuia sūt. Idcirco nudis uerbis singula præcepta singulis Distichis complecti uoluit, ut apertior esset & breuior.*

FINIS.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



T/c 732

ULB Halle

3



004 768 493



T/c







CATO  
NIS DISTICHA

MORALIA, CVM  
Scholijs D. Erasmi  
Roterodami.

NORIBERGAE.  
In Officina Typogra-  
phica Vlrici Neuberi.

A N N O.  
M. D. LXX.